

# THESES,

QUAS

LEGIBUS PRÆSCRIPTÆ,

STIPENDIARIORUM AD ACADEMIAM  
IMPERIALEM ABOËNSEM

EXERCITATIONI INSERVITURAS,

VENIA AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS,

PUBLICÈ PROPONIT

*Mag. JOH. HENR. AVELLAN,*

Historiarum Professor P. & O. Stipendiariorumque H. A. Inspector,

RESPONDENTE

*HENRICO TALLQVIST,*

*Stipendiario Publ. Satakundense.*

In Auditorio Juridico, die IV Maji MDCCCXXII

horis a. m. solitis,

---

ABOË,

ex Officina Typographica FRENCKELLIANA.



*Thesis I.*

**S**i negari nequit, omnes inter Scientias ab experientia originem ducentes, Historiam ortum habere peculiarem & quasi gigni e commutationibus rerum singularibus, veris, memoriaque dignis; perspicaciori etiam cuique mox erit in promptu: eandem, quæ strictè nimirum Historia appellatur, non nisi ejusmodi commutationibus, quæ aut sola virtute, aut vi & virtute hominum commoventur, considerandis commemorandisque procreari. Quod si vero constat, facili etiam colligitur negotio: nullam prorsus tractari posse Historiam, nisi quæ Culturæ præcipuam quandam Humanæ, ejusdemque aut Religionem & Mores, aut Mentis facultates, aut Corporis vires, aut Societatem demum civilem, cuncta hæc dignitatis humanæ fundamenta sacris suis templi veluti mœnibus cingentem, tutantem, adjuvantem respicientis, reddat rationem.

*Thes. II.*

Quibus amplis æque ac firmis adeo munimentis si Societas civilis summa hominibus bona pretio-

tiosissimaque dignitatis pignora circumvallerit; fieri haud potuit, quin, quæ Civitatum mutationes, temporaque præcipua sibi describenda, viasve, quibus Gentes ubique terrarum Jura omni generi humano communia, ideoque sanctissima, ab irruptionibus violatorum sarta tectaque servare, aut valuerunt aut saltem conatæ sunt, indicandas sumserit Historia, stricte quidem *Civilis* seu *Politica* nuncupata, sæpius etiam *Universalis*, vel nobilitatis suæ gratia, uno præ cæteris nomine honorifico *Historiæ* insigniretur.

### *Thef. III*

Qua quidem re percepta, nec difficile intellectu erit: Historiæ politicæ seu universalis studium fructum aut plane nullum, aut valde sane exiguum afferre, nisi cui probe jam perspectum fuerit: res gestas Populorum, Civitatumque fata rite atque ex veritate æstimari haud posse, nisi si ad absolutam Civitatis Ideam, tamquam ad mensuram, sive regulam, universa hominis natura antea constitutam, determinatamve, comparantur.

### *Thef. IV.*

Omnis autem de *Civitatis Idea* triplex est quæstio. Unum genus est, quod ad ipsam Civitatis pertinet definitionem; qua videlicet indicatur quid sit Civitas, quemque auctores ejusdem aut solum, aut primum finem, consilio communi sibi proposuerint consequendum. Alterum est genus quo osten-

flenditur, quæ genuinæ, justæque sint conditiones quibus exoriri vel quasi enasci possit Civitas. Tercio vero loco quæritur de iis, quæ Civitatis totum quasi corpus vel saltem principalia constituent membra, quorumque loco habentur: fines ditionis, Incolæ, eorumque vitæ genera, Artium, Scientiarumque habitus, Leges Constitutionis, Administrationisque mos.

*Thef. V.*

Quæ omnia, ad medullas tamquam Scientiæ Politicæ pertinentia, cum ab Historiæ civilis vel universalis studioso ignorari neque debeant, neque sine detrimento maximo queant; per se quidem patet, nihil fere posse magis præposterum excogitari ac perversum, quam ubi tractatio quæcunque historica rationibus argumentisque politicis prorsus fuerit denudata.

---